



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Marcivs Conf. 24. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

lier? Sed hem in quinquenni puero Herculeus Oeteum. Supplicat hic pro matre ad ignes damnata; sed ubi ad perfidiam invitari se videt, a rege non jam matris solum, sed suam etiam mortem orat, & lacrymis perorat, & blanditiis savientem morfu provocat tyrannum. Nihilominus servandus custodiam fallit, & ad matris sinum per ignis cum illa ex ignibus ad caelum volat. Ecce Roma vetus, quae ab omnibus saeculis exempla fortitudinis in omni sexu non mendicabis, omnia spectanda uno die dedit virtus Christiana. Ex *Metaphr.*

Quid Dei benignitati pro omnibus ejus muneribus rependemus! Nam si mille annos in terra viveremus, ne pro uno quidem colabho, nedum pro morte, quae pro nobis foedissima fuit affectus, illi unquam ullo modo posset a nobis satisfieri. S. Ephrem in Confessi. peccat,

S. MARCIUS CONF. 24. Octobris.

ORbi Romano Iustino juniore imperante, etius sibi MARCIUS imperavit. Aula illi spelunca non procul Caleno in Campania, quanto angustior tanto angustior fuit; pincerna vero petra, quae aquae tantum, quantum sat erat, quotidie sibi ministravit. Doluit daemone malus, & veterem serpentis larvam indutus, sive oranti, sive coenanti, sive quidquid demum aliud agenti accubare perstitit. Ille orcum vicissim ludos faciens, nunc pedem, nunc manum ultro ori ita ingessit, ut tamen dentem malum figere hic minime auderet; sed post triennium victum se falsus per altorum montis latus in praecipitium abiret, ambustis circum circa omnibus, quae volvebatur, arbutis. Sed ecce tibi pugnam, quae daemone ceciderat, prostratae frontis femina parat resistere. Quis credat & pericu-

periculosius longè certamen hoc MARCIVS cre-
dere; non jam ludere, sed fugere, sed in faciem
obiectus nec oculo hostem audere aspicere. Cef-
sit tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares,
mortua corruit. & subinde alii sanctiore consilio
ad MARCIVM inviserunt, quos inter puerum me-
morant, fallente vestigio, in subjectam vallem
limoxiè lapsum. Quid? quòd saxum ingens spelæo
imminens, & à rupe suâ avulsam, saltu MARCIVM
transit: qui jam, à principio catenæ, quæ modum
ambulationi præscriberet, pedem alterum alliga-
vit; monitus tamen à D. Benedicto amoris potius
uniculis teneri vellet, catenam quidem posuit,
ceterum longitudinem ejus numquam excessit,
nisi cum excedere denique mors felix jussit. Ex
S. Greg. P.

*Cum finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit
quod modo cum tantâ curâ, quaeritur, & cum
solitudine congregatur? Non ergo honor, non divi-
tia quaerenda sunt, qua dimittuntur, illa diliga-
mus, qua sine fine habebimus; illa timeamus, quæ
reprobis sine fine tolerantur. S. Greg. l. 6. Regist.*

B. IOANNES ANGELVS CONF.

24. Octobris.

IOANNEM ANGELVM exhibeo, vel nomine suo
debitum VIRGINI; cui nempe si immortales illi
Angeli servire gaudent, quidni noster etiam? At-
que hoc est, quòd Mediolani liberâ nobilique
familiâ natus, annumerari tamen Florentinæ Servis
MARIAE præoptârit. Ibi illum, ut scias quòd vota
sua miserit, abiisse inter preces in aëra ajunt, mul-
taque alia fecisse, quæ posteri miramur. Sola ca-
lissimi intertula innumeris parentibus auxilio
velat.